

ea, quæ ab ipso Ecclesiæ nascentis principio semper cognita fuere, quàm quæ consecutis, proximè licet, sæculis, tradita sunt diversa ab illo Dei verbo. Ubi meminisse te velim ejus, quod Euseb: ex Egesippo refert his verbis: *Igitur ad ea usq; tempora, virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, iis, qui sanum salutaris prædicationis Canonem corrumpere conati sunt, si tamen aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine ad id usq; temporis delitescantibus: Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præterit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cæpit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice, contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiã ex adverso prædicare conati sunt. Imò hoc ipsum ipse etiam infra fatèris, dum ais fol: 24. Dogmata fidei, & quicquid ad salutem necessarium meretur credi, è sola sacra Scriptura peti debere: neq; a quorumvis mortalium autoritate pendere: sed è verbo Dei duntaxat, quo suam ipse nobis voluntatẽ per Spiritum S. declaravit.*

Lib. 3. c. 32.

Tertium est, quòd eleganter quidem doces, ea etiam credi dici posse, quorum quis perspectas omnes rationes non habet, & proinde satis esse, si, exempli causã, credatur de cœna Domini: Hoc est corpus meum, etiamsi non credatur, hoc modo hoc est corpus meum: Interim verò eos damnas nimis liberè, qui eandem sibi libertatem concedi postulant, ut iudicium tuum, de libro suprã nominato satis superq; docet. Autor enim illius certè nihil non credit eorum, quæ in sacris habentur literis, etiamsi in modo, quo credenda sint, ab aliis dissentiat. & hac tua regula admissa, omnes, quicunq; ab Idololatria Pontificia liberi sunt, unam prorsus Ecclesiam

Ecclesiam